



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1650**

§. 4. Tertulliani decem rationes, ob quas nos ipsos vulcisi non debemus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)



Cap. I. Iniurias non manere inultas,  
minibus pacem habentes: Non vosmetipsos de-  
fendentes, charissimi, sed date locum ira, scrip-  
tum est enim: *Mihi vindicta, & ego retribuam,*  
*dicit Dominus.* Vbi duo docet Paulus, pri-  
mum est, domandum esse ultionis appetitū;  
alterum, Deo iudicium & vindictam iniu-  
riæ esse relinquendam. Primum pertinet ad  
nostram patientiam; alterum ad Numinis  
providentiam.

§. IV.

*Tertulliani decem rationes, ob quas nos ipsos ul-  
tisci non debeamus.*

Tertulli-  
an. lib. de  
patientia.  
c. 9. & 10.

Ne nos ipsos defendamus, hoc est, ultisc-  
eamur, Tertullianus hæc decem præscripsit  
documenta. 1. *Hæc ultiscendi libido negotiæ  
curat aut gloria, aut malitia: sed gloria ubique  
vana est, & malitia Domino odiosa, hoc quidem  
loco maximè: quia malum duplicat, quod se-  
mel factum est. Quid enim refert inter prouo-  
cantem, & provocatum, nisi quod ille prior in  
maleficio deprehenditur, iste posterior?* 2. *Vt ergo  
lesus Domini reus est, qui omnem nequam prohibet  
& damnat, quiq; precipit malum malo non re-  
pendendum.* 3. *Quem honorem litabimus Do-  
mino, si nobis arbitrium defensionis arrogaveri-  
mus?* 4. *Quid credimus iudicem illum, si non  
& ultorem? Hoc se nobis repromittit dicens:  
Vindi-*



Vindictam mihi, & ego vindicabo, id est, patientiam mihi, & ego patientiam remunerabo. 5. Qui vindicat se, honorem vnici iudicis, id est Dei, abstulit. 6. Post vindictam sequitur penitentia, fuga, & reatus, vt pari modo plectamur. 7. Nihil impatientia susceptum, sine impetu transigi nouit: quidquid impetu actum est, aut offendit, aut corrumpit, aut preceps abiit. 8. Si lenius defendaris, insanies: si uerius, oneraberis. 9. Quid mihi cum vltione, cuius modum regere non possum, per impatientiam doloris? 10. Si impatientia incubabo, non dolebo: si non dolebo, vlcisci non desiderabo.

§. V.

*S. Gregorij Nazianzeni in remittendis iniurijs insignia duo exempla.*

Hoc autem Apostoli philtum, atque ista Tertulliani malagmata obtulit S. Gregorius Nazianzenus suis Catholicis Constantinopolitanis. Illi enim, quia ab Ariano, sub Valente Ariano Imp. multum vexati, immo pene oppressi fuere, eo postea Imperatore defuncto, sub Theodosio orthodoxo Imp. par pari reddere, eosque similibus molestijs affligere voluerunt. Tum Nazianzenus, vt hanc vltionis voluntatem auerteret, eos in hunc modum est allocu-

Gregoria  
Presbyte  
in vit. S.  
Gregor.  
Nazianz.